



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XX. Vlterior præcedentis sententiæ confutatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

qui à solo Deo minimè exhibeatur : cum ergo fundamentum, & terminus eum influxum præstare nequeant, nihil erit, quod possit illum præstare.

276 Septimò reicitur ea sententia ad homines, vt aiunt. Nam Ioannes à S. Thoma suprà quæst. 17. artic. 4. in responsione ad primum, & alij non pauci Thomistæ, & ex Scotistis Mayton in 1. distinct. 29. quæst. 2. atque ex nostris Rubius in prædicam. cap. 7. quæst. 14. num. 333. censent, fundamentum, & terminum diuinitus à Deo conservari posse sine modo relationis. Quin etiam Ledesma, & Maior suprà citari, & quidam alij aduersariorum putant, relationem prædicamentalem similitudinis, aut Paternitatis, verbi gratia, per miraculum à Deo conservari posse sine fundamento, ac termino, atque vel his destructis, & aliis eorum loco non substitutis, vel certè facta substitutione alterius fundamenti, & termini, quæ relatio inter sit, & comparat. At neutrum horum potest sustineri: ergo nec, quod relatio sit accidens quoddam realiter adæquatè distinctum ab extremis suis, & eorum inhaerens alteri.

277 Non quidem prius. Ecquid enim est magis impossibile, quam Petrum, verbi gratia, & Paulum esse albos, & non esse similes, alterum esse genitum ab altero, vnumque nihilominus haud esse Patrem alterius, aut Filium hanc illius, vnum esse statuta septem palmorum, & alium octo, neutrum tamen esse maiorem, aut minorem alio. Dicunt aduersarij Petrum, & Paulum albedine ex æquo affectos, modo tamen prædicamentali destitutos, fundamentaliter, non formaliter esse similes; eademque ratione eos subire denominationes Patris, Filij, maioris, & minoris, aliasque quasvis id genus. Verum in primis, cum esse fundamentaliter simile, sit non esse propriè, ac verè simile, solutio hæc incommodum non tollit, nec mollit, sed cuiusdam additione voculæ regit: later ergo, vt aiunt, anguis in herba. Deinde ita si fas est nominibus ludere, ac fucum facere, impunè erit ei, qui dixerit parietem, v. g. esse posse, necnon albedinem ei unitam, quin tamen sit formaliter albus, sed fundamentaliter duntaxat, quive sinxerit ad eam denominationem præter duo illa requiri aliud quidpiam, huius enim commentum, alteriusve similis falsitas, quo convincetur argumento semel permixta aduersariorum doctrina? nullo certè, quod sciam.

278 Postecius etiam haud est sustineri magis facile: nam relationis prædicamentalis totum esse est esse ad aliud: quò ergo fieri potest, vt Paternitas, verbi gratia, habeat esse in rerum natura, & ad aliud non referat fundamentum aliquod, duove non comparat inuicem extrema? Rursus haud magis est ad aliud vnio, actio, aliave vlla relatio transcendentalis, quam prædicamentalis; imo hæc id inuneris multo magis sibi vendicat, cum per illud definiatur, quæ vero est transcendentalis aliam fortitur definitionem. Atqui vnio ita est ad aliud, vt diuinitus esse nequeat, quin destinatum aliquod extremum ad aliud quidpiam in particulari referat, actioque sic est ad aliud, vt determinatam causam ad effectum etiam determinatum necessario debeat referre, & ne per miraculum queat non referre; aliorumque respectuum transcendentium par est ratio. A fortiori ergo, vt aiunt, relatio prædicamentalis Paternitatis, v. g. aut similitudinis ita erit instituta, vt nulla potentia possit conservari sine eo, quod destinatum aliquod fundamentum ad terminum quendam specialem referat.

CAPVT XX.

Vltior precedentis sententia consutatio.

279 N Vllum efficacius argumentum aduersus relationem prædicamentalem in modo sitam, vel accidenti absoluto extremis superaddito, ab iisque realiter distincto, quam, si non sit vlla necessitas, vt ita eis sit superaddita, ab eisque distincta: haud enim sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, vt est in tria, ac scholasticis omnibus recepta parricidia: quod autem non sit necessitas vlla multiplicandarum in præsentem entitatum, constabit dilucida, ac perspicua argumentorum, quibus ea probari potest, solletque, solutione.

Primum esto: fundamentum esse potest, quin ad terminum prædicamentalem referatur: ergo relatio prædicamentalis distinguitur realiter à fundamento: quod autem hæc distinctio realis non sit inadæquata, eo nimirum, quod relatio præter fundamentum etiam terminum includat, in hunc suadet modum: relatio suapte natura est ad aliud, sed ad aliud non esset, si terminum includeret, sed formalissimè ad seipsam. Secundum: prædicamenta distinguuntur inuicem: sed distingui non possent, si relatio esset realiter idem cum fundamento, & termino, quæ simul substantiæ, aut simul qualitates, quantitatæ esse possunt.

281 Tertium eius opinionis argumentum: si æqualitas vnus quantitatis cum alia non in modo distincto, sed in vtraque quantitate consisteret, crescente altera tantum quantitate cresceret æqualitas: at ea ex hypothese non crescit, sed funditus evertitur: ergo, &c. Maior probatur: quia crescente altera tantum parte totius totum absolute crescit, homo, verbi gratia, facto solius materiæ incremento: ergo si æqualitas est totum, in vtraque quantitate, fundamento nimirum, & termino consistens, crescente solo fundamento æqualitas incrementum accipiet. Quartum quorundam neotericorum: partes vniuersi per modum aliquem pro posteriori naturæ in qualibet respectu cuiuslibet resultantem ad se inuicem referri possunt: at is modus est relatio prædicamentalis: ergo, &c. maior suadetur: quia aliqui partes vniuersi velut scopæ dissolutæ, aut arena sine calce futura essent.

282 Quintum argumentum est: in diuinis paternitas haud est partim intrinseca, partim extrinseca fundamento, nimirum primæ personæ, quin potius huic est omnino intrinseca: similiter ergo in rebus creatis debet idem vsuenerire: at paternitas creata non est omnino intrinseca fundamento per identitatem: ergo per inhaerentiam, adeoque ei inexistit instar accidentis, siue absoluti, siue modalis. Sextum sit: relationis prædicamentalis aliquod est subiectum: tum, quia id à nobis ex communi scholasticorum omnium sententia statutum est suprà cap. 6. tum etiam, quia accidentis essentia est cuius esse est inesse alicui subiecto: at nisi relatio sit forma quædam recepta in eo, quod refert, ab eoque distincta, haud poterit vllum eius esse subiectum: solius enim formæ est in subiecto recipi: & quidem si est complexio quædam substantiarum, quæ referuntur inuicem, vt hæc, nulum habent subiectum, sed alterutra potius est subiectum multorum accidentium, ita similiter relatio nulli poterit inexistere: non ergo talis est, sed magis forma quædam fundamento, & termino superueniens. Rursus: vnum extremum relationis dicitur fundamentum, seu causa relationis, aliud vero terminus

minus duntaxat, ut loco nuper memorato positum est, utque omnes habent in confesso; id autem verum esse potest, ubi relatio sit accidens quoddam intrinsecum fundamento, eique quod proximè refertur: huius enim cum præsentiam postulet, secus vero illius, imò quantacunque sit illius distantia resultare possit, ac soleat, nihil mirum, si id, quod refertur, sit eius causa magis, quam quod relationem terminat: Cæterum si relatio consistat ex æquo in utroque extremo, & alterum non minus, quam alterum eam constituat, quid est, quapropter vnum potius, quam aliud eius causa esse censetur? vel cur vnum præ alio eam fundet, & non magis alterutrum? quo pacto haud magis vnus semi-palmus, quam alius palmi causa intrinseca est, nec magis vna vnitas, quam alia numeri ex utraque coalescentis.

283 Septimum argumentum: quando aliqua causa suum produxit effectum, non potest naturaliter eum reproducere: ergo intrinsecè habet aliquid ratione cuius eum nequeat ita reproducere, si enim nulla facta est in eius entitate mutatio, idem poterit operari, atque antea: nam idem manens idem natum est facere semper idem, iuxta commune scholasticorum axioma: id autem intrinsecum ecquid est nisi modus relationis prædicamentalis, paternitas, vel maternitas dici solitus: Octauum: si relatio similitudinis, v. g. non foret modus, maxime, quia consisteret realiter in ipsis extremis: vna, v. g. & alia albedine, earumque vnitate, & convenientia quadam ipsis essentiali: at hoc est falsum: siquidem talis vnitas, & convenientia iuxta omnes est conditio, & ratio fundandi relationem: ergo non relatio: nihil enim sibi ipsi est præuia conditio. Nonum argumentum esse potest: Paternitas, v. g. si non est modus, ergo actio præterita ex parte, ut fatentur omnes: consequens est absurdum, nam nunc est Paternitas, nunc autem non est actio præterita, sed potius eius carentia: tum etiam Paternitas est ens, quippe quod est in eo prædicamento, seu genere entis, quod solet ad aliud nuncupari; sed actio præterita est non ens: haud ergo potest constitui per eam relationem Paternitatis.

284 Decimum argumentum eius opinionis. Ens relationum, & ens absolutum tantumdem saltem inter se differre debent, quantum entia duntaxat absoluta: at hæc distinguuntur realiter: ergo & illa; ac proinde fieri nequit, ut relatio prædicamentalis sit tantum virtualiter distincta, & non potius realiter ab extremis absolutis, quæ interiacet. Maior videtur sponte sua manifesta. Minor autem probatur ex Augustino lib. 6. de Trinitate, cap. 6. ibi, *In unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura: potest enim, & diminuta magnitudine manere idem color, & eadem figura; & colore mutato, manere eadem figura, & eadem magnitudo; & figura eadem non manente tam magnum esse, & eodem modo coloratum.* En iuxta Augustinum qualitates absolutæ, cuiusmodi sunt color, & figura, necnon absoluta quantitas siue magnitudo distinguuntur realiter, ac sunt separabiles. Consentit Damascenus in Dialect. c. 35. *Oportet cognoscere, quod non sunt qualitates corpora, sed in corpore: si enim essent corpora, substantia vtriusque essent.* Ecce secundum Damascenum qualitas absoluta à corpore, substantiave absoluta, cui inhaeret, distinguitur.

285 Postremum eius sententiæ argumentum sic habet. Existere duo alba, verbi gratia, in intellectu, non est illa esse intellectualiter relata, non est inquam virtualiter, aut etiam realiter: simili ergo ratione existere duo alba in re non est ea esse realiter relata, ac proinde

de ad id denominationis necessarium est aliquid accedens absolutum, vel modale talibus superadditum extremis: consequentia videtur sponte sua perspicua: suadetur antecedens; quoniam et si intellectus nollet cognoscat hoc album vna cognitione, & alia per accidens superueniente, illud etiam album, ea non comparat intellectualiter, donec vnum esse album sicut aliud, esseque ea inuicem similia iudicet, quantumvis ante tale iudicium sint ambo in intellectu, merito videlicet apprehensionum antecedentium: haud ergo idem re ipsa est, duplex album esse in intellectu nostro, atque alterutrum intellectualiter referri. Confirmatur, & declaratur. Quamvis vi præmissarum maius, & minus extremum sint in intellectu, tamen non comparantur intellectualiter, donec conclusio superueniens, & à præmissis realiter distincta ea inuicem conferat, & vnum de altero affirmet: rursus, licet Petrus à me apprehendatur, item alia apprehensione à me cognoscatur album; & obiecta vtriusque apprehensionis earum vi sint in intellectu, tamen non comparantur intellectualiter quoad iudicium realiter distinctum superueniat, merito cuius Petrum esse album affirmetur. Esse ergo duo aliqua absolute in intellectu est separabile, & consequenter realiter distinctum ab hoc, quod est ea esse intellectualiter comparata, & relata: ergo similiter, &c.

His argumentis, quæ partim alij obiciunt, partim ipsi aduersus nos disputandi gratia, non ægrè potest satisfieri. Ad primum respondeo ita. Cum relatio ad aliud esse dicitur, sensus est esse ad aliud à relato, non verò à relatione: quamobrem hæc ipso termino poterit constitui, si minus virtualiter, at certe realiter. Ad secundum respondeo: distinctionem prædicamentorum non semper esse realem, sed interdum solius rationis, siue virtualem, uti ostensum est ex professo supra tract. 1. huius libri capite 3. & 4. sed relatio distinguitur virtualiter, seu ratione ratiocinata à fundamento, & termino quoties hæc ad aliud attinent prædicamentum.

Ad tertium respondeo; eo fortassis concludi solam distinctionem virtualem relationis à suis extremis. Deinde, ne hanc concludit: quando enim relatio in fundamento, & termino formaliter consistere dicitur, de fundamento proximo, & termino eiusdem rationis sermo est: fundamentum autem proximum æqualitatis inter duas quantitates, est earum altera, non utrunque, sed cum negatione partium, quibus aliam superet: quare crescente altera quantitate, & sublata hac negatione nouarum partium, mirum non est, quod relatio æqualitatis non crescat, sed potius omnino tollatur, cum fundamentum eius proximum non crescat, sed auferatur penitus.

Ad quartum respondeo: ut partes vniuersi inter se cohæreant, & tanquam scopæ dissolutæ non sint, aut arena sine calce, non video quid interest relationem prædicamentalem, qua se mutuo respiciunt ab iis modaliter distinctam esse magis, quam ab iis nullatenus distingui, cum relatio prædicamentalis strictius non connectat extrema, si ab iis distincta sit, quam si nulla sit ab illis eius distinctio, sicut vnio physica non est arctius vinculum extremorum, si ab eis distincta sit, quam si omnino indistincta. Deinde partes vniuersi, ut inter se aptè cohæreant, satis est, ut per suas vicationes eadem puncta fixa mundi respiciant, suisque spatiis quæque locentur: quæ ergo huiusmodi superadditi atque in eis omnibus multiplicati potest esse necessitas, aut vtilitas?

Ad quintum respondeo in primis per instantiam: nam Paternitas diuina consistit in solo fundamento, prima

prima videlicet persona, eique nihil realiter distinctum superaddit: Paternitas autem creata non est sita in sola entitate fundamenti, sed potius in modo aliquo, aut accidenti absoluto realiter distincto, ac superaddito: prius est exploratum apud omnes: posterius vero est horum, quibuscum cernimus: quamvis ergo altera Paternitas sit intrinseca fundamento, ac nullatenus extrinseca, ea nimirum, quæ Deo convenit, haud propterea sequetur, alteram esse talem, aut termino minimè constitutam. Rursus: Paternitas increata haud ita excludit, reicive à se terminum, videlicet Filiationem: quin ea cum identificetur in tertio quodam, scilicet essentia utriusque communi: relatio ergo creata Paternitatis non erit aliena prorsus à termino, sed potius alicui cum eo identitati obnoxia: quæ quidem alia esse non potest, quam inadæquata: ac proinde eiusmodi respectus, cum eo, tum etiam fundamento reipsa constituitur, & sic esse nequit accidens aliquod ab utroque distinctum. Tandem idcirco Paternitas increata est omnino intrinseca fundamento, quia hoc ab illo nequit separari, adeoque illam includit per identitatem veram, ac realem, qua nulla maior esse potest intimitas, ut sic dicam: hæc autem ratio non procedit in Paternitate creata, aliove eius ordinis respectu prædicamentali.

290 Ad sextum respondeo; quamvis notiones illæ subiecti, ac fundamenti probè explicentur supposito relationis ab utroque discrimine vero, ac reali, cæterum eo etiam negato, haud propterea inexplicatas manere; quin suam illis essentiam, & significationem constare. Nam de vno extremo præ alio prædicatur referri ad aliud: relationis ergo subiectum erit vnum præ alio, sin minus physicè, at certè logicè, & nostro concipiendi modo: rursus ita sunt ambo extrema instituta, ut si eorum relatio esset forma quædam modalis, aut absoluta, reciperetur in vno magis, quam alio; videlicet in eo, quod denominationem relativam subit, atque ad aliud refertur: illud ergo, quod tunc esset subiectum strictè, modo & tale minus rigorosè: quo pacto dici consuevit, quod materia, v.g. appeteret elicite, & propriè, ea si polleret appetendi facultate, hoc ab illa nunc appeti innatè, & improprie.

291 Deinde etiam vnum extremum est causa relationis prædicamentalis à se indistinctæ, sin physicè, & propriè, at saltem logicè, & minus propriè. Interroganti enim causam, quapropter Petrus, v.g. sit similis Paulo in qualitate aliqua, videlicet albedine, haud bene respondeas, quia sunt homines; haud etiam, quia Paulus est albus, sicut Petrus: prius enim reddit rationem similitudinis essentialis, non accidentalis: posterius verò similitudinis, non Petri cum Paulo, sed huius è conuerso cum illo: congrua ergo eius interrogationis responsio est hæc; quia nimirum Petrus est albus instar Pauli: causa ergo intentionalis, & logica, siue quoad nos eius similitudinis est albedo Petri: quo autem sensu est causa, eodem etiam est fundamentum præ alio extremo. Adice dici quoque posse causam, & fundamentum minus strictè; videlicet quia si relatio esset accidens ab albedine Petri, & non alia causa produceretur, in eaque præ quouis alio accidenti, siue substantia esset suapte natura fundata, ut dictum est iam iam in simili.

292 Ad septimum respondeo; in primis impotentiam illam naturalem effectus semel producti, ac postea destructi, nihilominus iterum reproducendi à Scoto, & aliis non paucis negari: qua supposita sententia tota corruet argumenti vis. Rursus multi Thomista,

quorum supra cap. 10. facta est mentio, censent ex actione præterita aliquid relinqui in causa instar dispositionis, siue habitus iuris, vel potestatis, alteriusve similis, idque antecederet ad relationem omnem: in illud ergo & non in hanc refundi potest eiusmodi impotentia naturalis, etiamsi ex superfluo concedatur, eam esse intrinsecam. Præterea effectus, cuius existentia semel transiit, à nulla causa potest naturaliter, ac citra miraculum produci: quod ergo Pater non possit Filium extinctum reuocare ad vitam, neutiquam oritur ex relatione Paternitatis, alioqui, qui non est eius Pater, cumque non genuit illum posset à morte vindicare, atque in lucem asserere. Insuper impotentia illa naturalis, quæ obicitur in argumento, si est relatio Paternitatis; hæc ergo non minus, quam illa poterit intueri terminum non existentem: quod tamen negant plerique aduersariorum. Tandem supra cap. illo decimo ostensum est, quod aliquid sit potens, & impotens proximè haud semper esse denominationem omnino intrinsecam, sed multoties extrinsecam quadantenus: præterquam enim quod voluntas extrinseca Dei sui præparatiua concursus omnem causam creatam ad operandum compleat, vel, si subtrahatur, impediatur ab operando, certè passi præsentia, & absentia, quamvis sint agentis extrinsecæ, illud tamen, aut potens, aut impotens in operari denominant.

Ad octauum respondeo; extrema aliqua, verbi gratia, utrumque album, atque utriusque conuenientiam radicalem, esse quidem conditionem præuiam eorum conuenientia formali, siue relationi, ut ut hæc ab eis sit realiter indistincta: haud enim sunt conditio præuia physicè, sed logicè, & improprie, veluti paulò supra dictum est in simili, cum esset de subiecto, ac fundamento relationis sermo.

Ad nonum respondeo; actionem præteritam esse de ratione, & essentia Paternitatis. Prima autem ratio contraria id neutiquam euincit falsitatis: ut enim Paternitas dicatur esse nunc, satis, superque est, ut nunc sit vnum eius, alterumque extremum, quod principaliter importat, substantia videlicet Patris, & Filij, etiamsi actio, quam secundo tantum inuoluit neutiquam sit nunc temporis. Neque nouum est, quidpiam dici esse aliquando, quamvis tum non sint omnia eius constitutiua. Sic enim cognitio obiecti futuri eius ante existentiam dicitur esse vera, cum tamen illius veritas constituitur intrinsecè per-existentiam. Sic domus dicitur nunc antiqua, etiamsi iam non sint eius antiquitatis anni, sed præterierint potius. Mille his similia; quibus tamen, ut non necessarii superfedeo. Si tamen res refeceretur ad viuum, nec ad vulgarem loquendi spectetur modum, certè quando actio est præterita, tum non est propriè Paternitas penes omne, quod concernit.

Secunda ratio contraria eiusdem argumenti noni nihil probat: siquidem ens prædicamentale, quod de Paternitate, & aliis, tum relationibus, tum accidentibus non relatiuis, imò etiam substantiis dicitur, atque in omnia funditur, haud est ens propria, ac rigorosa appellatione, sed ens latius usurparum: poterit ergo actione præterita, ac non ente ex parte constitui Paternitas, quantumvis sit ens prædicamentale. Quod autem hoc eius conditionis sit, quam diximus, suadetur: tum, quia iuxta non paucos Thomistas nullum accidens est strictè ens, sed potius entis, nullum conuenit cum substantia vniuocè: aut quoduis est ens prædicamentale: tum etiam, quia ens per accidens, cuiusmodi est numerus, est ens prædicamentale: sed non est ens simpliciter, ac rigorosè, & defectu vnitatis, qui est in causa, ut magis sit

sic entia, quam ens quoddam, & ratione negationis alicuius, quam fortasse inuoluit, & à qua dicitur quantitas discreta, & non continua: tum denique; quia, nec motus, nec tempus, nec oratio sunt adeò strictè ens, atque res illæ, quæ existunt totæ simul, sunt enim quadatenus in potentia, adeoque non entia quoad aliquam partem, eam nimirum, quæ non est in eis præsens, sed præterita, vel futura.

296 Ad decimum argumentum respondeo: entia absoluta non pauca distingui realiter inter se, vt Patres adducti sentiunt, vtque multis potest exemplis reddi manifestum, quibus breuitatis causa supersedeo: proinde aliqua entia relatiua distingui etiam realiter ab absolutis, vniomem videlicet à materia, & forma, actionem à causa, & effectu, quin etiam similitudinem à rebus absolutis dissimilibus, & dissimilitudinem à rebus absolutis similibus. At etiam aliqua entia absoluta sunt inuicem realiter indistincta, ac tantum virtualiter distincta, quantumuis ad diuersa spectent prædicamenta: nam vt ostenditur suis in locis, materia est per seipsam quanta, omnis etiam substantia est per seipsam qualis quodammodo: qualitas etiam, cuiusmodi est color, sita est in quantitate rei colorata adiunctis aliis eius accidentibus, quo fortasse spectat illud Richardi Victorini tractatu de exceptionibus capite quarto: *Omnis autem visibilium forma in quantitate consistit*. Quapropter cum falsum sit, entia absoluta etiam diuersorum generum semper inter se realiter distingui, perperam inde infertur, esse oportere realiter distincta ens absolutum, & multiplex ex vna parte, & ex alia ens relatiuum.

297 Postremum argumentum, etsi multis videatur satis plausibile, atque popolare, facilem tamen habet solutionem. Nam esse simul duo reipsa, non est separabile ab eorum relatione reali, seu prædicamentali, cum tamen esse duo simul in intellectu separari possit ab hoc, quod est ambo inuicem comparari, & referri intellectualiter per iudicium alterum eorum de altero affirmans. Quid mirum ergo, si posterior relatio sit realiter distincta ab extremis, secus vero illa prior.

CAPVT XXI.

Reiiçitur sententia distinguens realiter extrinsecè relationem à fundamento, & termino.

298 IN qua est Aureolus in 1. distinctione 42. 2. p. dist. articulo 2. contra opin. primam, & apud Capreolum in 1. distinctione 30. quaestione 1. In eadem etiam esse videtur Gerardus Senensis in 1. distinctione 33. quaest. 1. artic. 1. necnon Auerroës in epitome super lib. metaphys. tract. 3. & in epitome prædicam. cap. 5. ad aliquid 1. parte voluminis, & lib. 1. posteriorum text. 32. referri etiam pro eadem opinione solent Zeno, ac Stoici, cæterique philosophi Platone, & Aristotele antiquiores: quos tamen magis arbitror censuisse, relationem prædicamentalem esse permixtam omnibus entibus, quam in consideratione intellectus sitam.

299 Quorum autem cunque ea sit opinio, suaderi potest primò, hunc in modum: quod numerus aliquis alio sit duplo, alio triplo, alio quadruplo maior, est relatio prædicamentalis, vt omnibus exploratum: at quod duplo, triplo, aut quadruplo maior sit, est formalissimè opus mentis, cum sit reductio quantitatis ad numerum: numerus autem teste magistro in 1.

R.P. Richard Lynciei, Philosoph. Tom. III.

dist. 24. & B. Thoma non est à parte rei, sine extra animam, sed animæ, & mentis opus: igitur relatio prædicamentalis mentis opus est: non alterius autem, quam fingentis: ergo est quidpiam rationis, & fictitium: hoc ergo quemadmodum distinguitur realiter extrinsecè à materia, circa quam fit, ita & relatio prædicamentalis à fundamento, & termino.

Deinde secundo: dominium & seruitus relationes prædicamentales sunt; at extra animam non sunt, sed potius in sola apprehensione ficticia consistunt, qua videlicet per fictionem quandam iuris seruus Domino se obligatum vult, & apprehendit, & Dominus seruo se superiorem, cum tamen à parte rei, & extra animam nihil excogitari possit, in quo eiusmodi posita sit obligatio, aut relatio: cedo enim, quale sit. Tertiò à priori: relatio est comparatio quarundam rerum inter se inuicem: intellectus autem proprium est comparare: ergo & referre; adeoque relatio erit opus intellectus.

Hæc tamen sententia merito à scholis iam diu exulauit: quid enim euidentius, aut manifestius, quam independenter à quauis fictione, & operatione intellectus, Ignatium, verbi gratia, esse similem Francisco, totum esse maius sua parte, obiectum esse volitum, aliove modo mensurabile: sed hæc relationes sunt prædicamentales. Rursus cognitio essentialiter, & independenter à quauis fictione obiectum intentionaliter sibi assimilatur, & Verbum increatum essentialiter, & sine fictione est imago Patris: cur igitur similitudo physica vnius hominis cum alio à parte rei reperiri nequeat independentem ab omni figmento?

Præterea: si relatio prædicamentalis æqualitatis, similitudinis, &c. realis non esset, idem de actione, duratione, vocatione, & reliquis modis dici oportere. Sequelam Aureolus vbi supra largitur; consequens autem manifestè absurdum est: alias eadem licentia hominem esse à parte rei hominem negari posset, cum modus omnis essendi sequatur ipsum esse: quamobrem, si modi essendi hominis, v.g. à parte rei negantur, quid est, quapropter ipsum esse hominis sit à parte rei adstruendum? Denique in diuinis dantur relationes reales, nimirum Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, vt fide Sanctum: ergo etiam in creatis Paternitas est relatio realis censenda: quæ enim vtrunque disparitatis ratio assignari potest? Nullam certè agnouit B. Thom. opusc. 48. tractatu 5. cap. 1. *Vniuersaliter*, inquit, *circumscripto omni actu intellectus Pater refertur ad Filium, & Filius ad Patrem, quia realiter Pater genuit Filium, & Filius à Patre genitus.*

Aduersariæ opinionis argumenta parum vrgent. Ad primum respondeo: sicut vnitas, alia est rationis, alia realis, ita numerus vnitati oppositus duplex est: alius rationis, qui numeratio potius, quam numerus dici consuevit, de quo Magister, & B. Thomas vbi supra: alius realis, qui operationem omnem intellectus anteuertit; quis enim in diuinis à parte rei tres esse personas, aut triangulum independentem ab omni intellectus operatione habere tres angulos æquales duobus rectis negare auit? quare quamuis relatio inæqualitatis, qua numerus vnus superat alium in vtroque realiter consistat, adhuc in aliquo reali consistere poterit, atque adeo non est relatio rationis censenda. Vel paulò aliter: numerus iuxta B. Thomam 1. part. quaestione 1. articulo quarto, & Capreolum 1. sentent. distinctione 24. quaestione 1. alius est simplex & abstractus, vt duo, tria, quatuor, & hic in sola intellectus abstractione consistit: alius vero, qui est in rebus numeratis,

R

vt